

26

1726/74

23

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
JOH. HENRICVS

*Meier*, JCTVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.



255





Vam sanctè, quàm altè rō æ-  
quum & bonum, Justitiam pu-  
ta, sit judicantibus tam in Sa-  
cris *Exod. c. 23. v. 6. Deuter.*  
*c. 1. v. 17. 2. Paral. 2. v. 6.*  
quàm civili prudentiâ com-  
mendatum, evidenter liquet; hujus pulcherrimæ  
scientiæ peritissimi floruerunt prisci Romano-  
rum; qui quotiescunque de Jure responderunt,  
magnam sibi rationem æquitatis habendam,  
existimarunt, suumque exemplum Posteris imi-  
tandum deposuere. Hinc & Imperatores gra-  
phicè edixerunt *per l. 8. Cod. de Judic.* in omni-  
bus rebus præcipuam esse Justitiæ æquitatisque,  
quàm stricti Juris habendam rationem. Ejusdem  
sententiæ inclyta Augusta, Constantini Impera-  
toris vidua, dum electo, Mauritio Genero fasces  
sceptraque cederet, Ipsum sic affata: sit tibi Impe-  
rium cum hâc puella (filiam indigitabat) conces-  
sum, utere eo feliciter, in mente habens, Æquita-  
tem & Justitiam optimi Imperatoris esse insignia,  
*referente Tholof. de Rep. lib. 7. cap. 16. n. 7.* mul-  
tò magis itaque Judices, qui Jurisdictioni præ-  
sunt mercenario, vel nobili officio novissè oportet,  
quantum intersit cerebrinum inter & à pru-  
pru-

prudente bene atque constanter observandum  
jus genuinum, *Garf. de Expens. cap. 1. n. 28.*  
*Dec. Resp. 36. n. 41. Vol. 1.* nequaquam enim,  
uti sæpènumero fit inter pedaneos, iste proprii  
capitis, sed Legis æquitatem sequatur; Vulgi  
enim putativa æquitas, plerumque, secundum  
*Bald. in rub. quest. 9. n. 12. Cod. de non num.*  
*pec.* est duplex iniquitas; quemadmodum &  
aliàs nec fama vel opinio à Vulgo profecta  
magni habeatur momenti, cum plerumque sit  
incerta, difformis, modò alba, modò nigra,  
perinde ut ejus author, bellua ex mente *Horat. 1.*  
*Serm.* Attramen negandum non est, diversam  
esse æquitatem, aliam, quam opponunt versutæ  
solertiæ; aliam, quæ jure naturæ & virtute ci-  
vili ad utilitatem & securitatem Reipubl. gu-  
bernatur. Aliam porò intelligunt, quæ ipsi  
Juri inest, & ab eodem non distinguitur; hanc  
vulgò scriptam nuncupant æquitatem, sive in-  
trinsècam; quippe omnis Lex æquo & bono  
constare debet; è contra per extrinsècam innu-  
unt eam, quâ in applicatione Lex ad factum pru-  
denti & æquo judicio accommodatur; & hæc  
propter nimiam casuum varietatem, scribi ne-  
quit indeque non-scriptam vocant. Sub hujus-

) ( 2

modi

modi verò obtutu Judicis officium minimè de-  
generet, neque iste à perspicuo Legis sensu te-  
merè & absque piaculo cedere debet, multo-  
minùs sumat occasionem prolabendi ad casum,  
quem dicunt pro amico, Zœsius verò pronun-  
ciat pro diabolo. Veruntamen miserabilium &  
egenorum causas in earum injuriam minimè ne-  
gligat Judex, ni velit Justitiam vindicem certius  
experire. Penitiùs quoque, qui Legum interpre-  
tatione & applicatione occupatus est, dispiciat &  
in uno quoq; Præcepto utrumq; contrarium in-  
vestigando, vi ipsâ deprehendet, dum enim v. g.  
prohibetur, ne quis in parentes sit injurius, hoc  
ipso, ut debitus iis exhibeatur honos intenditur.  
Denique hic monendum, nonnunquam sese  
offerre duplicem æquitatem, quo casu primùm  
anceps judex fieri potest, quam in partem in-  
clinet, quod tribus exemplis, ubi collidere invi-  
cem videntur Juris Gentium principia cum ju-  
re civili; in *l. 31. pr. §. 1. ff. deposit.* illustrat  
Thryphoninus; In quorum primo depositam  
pecuniam, depositarius vigore conventionis  
non restituit deponenti, post contractum, ob  
crimen commissum, deportato repetenti; sed  
Fisco; cedat enim hic ratio Juris gentium civi-  
libom s ) li

li, utpotè potiori, quæ jubet, quò malè meritis publicè exemplo sit aliis ad terenda maleficia, isteque egestare laborare debeat. Alterum & tertium exemplum proposuit Jctus de latrone & fure, res surreptas apud tertium, per ignorantiam deponentibus, quo casu priori, si cum hujusmodi deponente depositum repetat proprietarius, pro hoc decidit Thryphoninus: quòd sic justitia sit tribuenda, ne distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione; posteriori casu censetur contractus nullus, quia ex bona fide non consistit, ideoque furem petitione sua excludit. Consimilia exempla habentur apud acutissimum *H. Grot. de J. B. & P. lib. 3. Cap. 11. §. 3. 4. & lib. 2. cap. 2. §. 26. seqq.* hæcce ad *L. 8. Cod. de Judic.* fusiùs & eruditè, ut certissimus, persecuturus est

*NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS*

**DN. FRANCISC. WILHELMVS**

**Wagner/**

Qui natus est Rustebergæ in castro Electorali Eichsfeldiæ 28. Augusti, Anno reparatæ salutis 1699, Patre, Dn. JOANNE MICHAELE WAGNER, Eminentiss. ac Celsiss. Princip. Elect. Moguntini Præfecto; jam pridem piè defuncto; Matre

X 3

fœ-


fœminâ virtutibus, sexum hunc decentibus atque genere decorâ, ANNA CHRISTINA, nata STREITIN. Prima literarum humaniorumque studiorum fundamenta posuit sub informatione R. R. P. P. Societatis Jesu, in eorum, quod Heiligenstadii floret, Gymnasio. His absolutis ad Philosophicas disciplinas ingressum fecit atque integram eorundem Encyclopædiam, faciem præferente Eximio & R. P. OSWALDO WIGAND, S. J. A. LL. & Philosophiæ Magistro, biennii spatio absolvit atque priori anno Logicam; posteriori autem universam Philosophiam ex cathedrâ publicâ defendit. Animum deinde ad altiora applicans, Jurisprudentiæ sese sacravit studio, primaque ejus in almâ hac Electorali Universitate sub Prænobili atque Consultissimo Dn. JO. MICH. ROTERMVND, J. U. D. Prof. Publ. Ord. & Jud. Eccles. nec non Provinc. Dicastrii Assessore, Collegâ nostrâ percharo, instituta ad ductum Schambogenii explanante, principia hausit; hinc evocatus Moguntiam, altero Juridici studii anno: Instituta ad dicti Schambogenii lectiones publicas sub Prænobili ac Consuliss. Dn. DÜNNEWALD, Eminent. Elect. Mogunt. Consil. Aul. P. P. Ord. & Fac. Jurid. Assess.



festi repetit, eodemque tempore lata digesto-  
rum Volumina ad methodum Compendii Lau-  
terbachiani, interprete Viro Pl. Rev. Dn. D.  
ERNST, Eccles. Colleg. ad S. Victor. Canon. Ca-  
pit. & Decretal. Prof. Publ. manu versavit, qui-  
bus post anni lapsum absolutis, eodem Duce &  
interprete præeunte R. P. LVDOVICO ENGEL,  
collegio Juris Canonici, operam navavit. Hinc  
denum ad id, quod restabat, in Cursu Juris ab-  
solvendum, Argentoratum se contulit, ac inibi  
repetitis Pandectis ad Schuzii Compendium,  
& Jure Canonico ad Desselii Erothemata Jur.  
Canon. sub Excellentiss. Domino JOAN. HEN-  
RICO BOEGLERO, J. U. D. & Jur. Publ. Prof. Ord.  
Studio autem Juris Feudalis, moderante Viro  
Prænobili atque Consultiss. EBERHARDO LYN-  
CKIO, Institut. Imperial. P. P. Ord. ad Strykii Exa-  
men Juris Feudal. & Juris Publici, prælegente  
Viro Magnifico ac Amplissimo HENRICO FEL-  
ZIO, Cod. & Feud. Prof. Publ. Ord. ad introdu-  
ctionem Schwederi, Aurcam Bullam, aliasque  
Imperii sanctiones, se dicavit. Unde redux fu-  
turus ad Patriæ limites nostram prius salutavit  
Facultarem atque sibi promeritos honores rite  
deferri modeste postulavit, atque subiturus  
Can-

4234  
Candidatorum Juris rigorosum examen antè  
desideravit vigore Statutorum, sibi ex utroque  
Jure textus designari; huic Ejus petito locum  
dedimus atque selegimus ex Jure Canon. *Cap.  
Judicis. 2. X. de offic. Judic.* ex Jure autem Civi-  
li *L. Ex furtiva. 5. ff. de condict. furtiv.* hosce  
text. secundum Juris principia declaravit solidè  
atque in ipso Examine sese verum probavit Can-  
didatum; qualis postmodum etiam unanimi-  
bus omnium Facultatis Membrorum suffragiis  
promptè declaratus fuit; Ipsique permissa po-  
testas è Cathedra publicè habendi tam Curso-  
riam Lectionem ad suprà dict. *L. 8. Cod. de Ju-  
diciis*; sed quoque insigni studio elaboratam  
Inauguralem Dissertationem DE SVBTILITATE  
NIMIA IN ANALOGIA JVRIS NAVFRAGA, auspi-  
candi. Quibus solennitatibus ut interesse di-  
gnentur Magnificus Universitatis RECTOR, at-  
que Proceres, nec non Jurisprudentiæ strenui  
Cultores officiosè & humaniter ad Audit. Jur.  
Coll. Major. proxinè futurâ die Saturni, XIII.  
April. horis consuet. invitantur, etiam atque  
rogantur. Publ. Erfurti sub Sig. Facult. Jurid.  
Anno M DCC XXVI.

(L. S.)



Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle


005 367 786

3



VD18





26, 17206, 4 23

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
JOH. HENRICVS

7552

Seier, JCVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.

